



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

Disputatio Ordinaria ex Jure Nat. & Gent. 21.

De

JURE JURANDO,

PRIMA,

QUAM

Auspice Numine,

PRÆSIDE


HENRICO COCCEJO;

U. J. D. Jur. Nat. & Gent. P.P.
Ord.

Publicæ ventilationi exponet

Philippus Ludovicus Geuderus,
ab Heroldsberg / Nob. Franc.

Ad Diem VII. Februarij H. L. Q. S.
M DC LXXIV.



HEIDELBERGÆ;

Typis WILHELMI WALTERI, Acad. Typogr.

*Disputation
varios Pa
dorfu.
Cocce*

§. I. **O**mnis assertio, per quam alii quid asserimus, duplex est: siquidem pertinet vel ad rei cognoscendæ ab alio veritatem; vel ad præstandæ securitatem: aut enim asseritur, rem ita esse ut dicitur, quod est *veritas*, cui opponitur *mendacium*; aut ita fieri ac præstari debere, ut promittitur, estque *fides*, cui opponitur *perfidia*: utrique assertioni, si sit jurata, opponitur *perjurium*. §. II. Unde patet *perjurium* esse, quod sit animo *mentiendi* aut *fallendi*: quia hæc duo opponuntur *veritati* & *fidei*, §. I. ad quas confirmandas jusjur. pertinet, *ut mox*. §. III. Per assertionem autem non intelligitur id, quod verbis aut literis fortè expressum est, (ea enim sunt tantùm signa & instrumenta, quibus assertio exprimitur, & alii significatur) sed assertio hic animi seu mentis intelligitur; seu sententia illa mentis, de qua per verba vel literas alii indicanda agitur, ut alius ei fidem habeat. §. IV. Et ergò, cùm asserens non sibi asserat, sed ut alii fidem faciat, necessariò intelligenda est sententia illa, de qua alteri fides facienda, adedque de qua inter utramque partem agitur, & uti non tantùm is, qui jurat, sed & is, cui juratur, eam intelligit. §. V. Cùm autem non tantùm asseri aliquid soleat simpliciter, sed & cum aliqua insuper confirmatione, hæc confirmatio fieri potest, Vel (1.) verbis, quæ intensiùs aut fortiùs affirmant, v. gr. *verè, certè, quàm verè vivo, ex animi sententia, Amen &c.* quibus non tantùm cavetur, quòd non joci vel animi gratiâ, sed seriò dicatur, sed & cùm arctior inde fiat assertio, & deliberatius ac firmitus asserendi consilium inferatur, hoc gravior & scelestior fit violatio. §. VI. Vel (2.) fieri potest confirmatio illa verbis, quæ religionem incutiunt, quâ quis deterreri à violatione ejus, quod asseruit, potest, & hoc est, quod *Iusjurandum* dicimus, utpotè, quod nihil est aliud, quàm *affirmatio quadam religiosa*, autore *Cic. 3. off.* Unde, quicquid religionem aliquam continet, quòd vel sit sanctum; vel habeatur saltem juranti sanctum ac inviolabile, aded ut ejus veneratione à violando id, quod adseruit, abstrahi ac deterreri queat, per id omne, si adjiciatur, juratum intelligitur: quia per id omne, assertio fit religiosa. §. VII. Cùm ergò jurans adjiciendo mentionem rei sanctæ, eam esse velit vinculum & sacramentum sui asserti, hoc ipso contestatur (1) se non magis violaturum id quod asseruit, quàm adjectam religionem; ac proinde, si violet illud, hanc quoque violasse & temerasse videtur: quia violatio rei ligatæ seu munitæ fieri non potest, nisi violato vinculo, munimento, & q. sigillo, quo contra violationes munitur. (2) se in testimonium dicti eam accersere, si talis res sit, quæ ita advocari possit: qui autem fallit in eo quod asseruit, fallit quoque testes ad ejus comprobationem accersitos.

¶ VIII. Id ergò, quod ex religione jurisj. malum metuimus, & quo de-
terremur, ne illud violemus, vel est (1) simplex quaedam profanatio ac
dehonestatio, (cujus tamen gratiâ etiam apud homines insuper malè au-
dimus) eaque vel rei quæ nobis saltem sancta & veneranda est, uti per
pios manes, per parentes, per majores, &c. uti Caligula jurare solitus est
per nomen Drusilla, Claudius per August. Elifæus per vitam Elia. 2. Reg. 2.
vel quæ nobis venerationem & autoritatem conciliant apud alios, quod re-
ferimus Magnatum illa, bey unsern Fürstlichen/Ärztlichen oder Adelsichen
Ehren / per famam & honorem, quibus omnibus pejerantes indignos insu-
per se reddunt; item per Canos & senectutem, &c. denique per ipsam fidem
bey treuen/ jurari solet: nam & ipsa apud omnes gentes sancta est, & apud
Romanos pro Dea habita fuit, Jovi vicina in Capitolio, Cic. 3. off. & jusj.
Jovis dicta; cum sit vinculum omnis societatis & promissionis.

¶ IX. Vel (2) insuper est pœna & ultio ejus, cujus nomen perjurio teme-
raturum est, & cui proprii nominis injuria & violatio sine dubio curæ erit,
idque eò certius, quod majus est nomen violatum: Ita principis persona
meritò omnibus est sancta, ut per ejus nomen jurare liceat, cum Numi-
nis etiam in terris vices sustineat: rectè ergò per ejus genium, salutem, sce-
ptrū, fortunam jurari solet, & proinde, si perjurio ipse violetur, ac injurie-
tur, species est criminis læsæ Majestatis. Nec obst. l. 2. C. Iurej. l. 2. C. Majest.

¶ X. An & per angelos eadem ratione jurari possit, dubito? Videtur
quidem quoddam sic, cum sint omnino sancti, & ipsi quoque injuriam nomini
suo ob perjurium illatam videantur vindicare posse: Sed cum sine manda-
to vel concessione Domini nihil agere queant, nec jus in homines habe-
ant, saltem non ad hanc, interim tamen ad priorem speciem §. 8. referri pos-
sunt, cum utique sint sancti & inviolabiles. §. 6. Verùm & alia tamen ra-
tione per angelos jurari potest: quatenus scilicet sunt immediati Numinis mi-
nistri, adedque injuria ipsorum in contemptum Numinis directò tendit, cui
proinde id vindicandum relinquatur: & hinc divinus Autor eos cum ipso
Deo in suo jurej. conjungit 1. Tim. 5. vers. 21.

¶ XI. Potissimum
autem ita juratur per ipsum Numen: quod jurandum præ reliquis omni-
nibus id inter alia præcipuum habet, quod in rebus occultis solum adhi-
beri queat. Diximus enim §. 1. assertionem in hac materia duplicem esse:
vel enim asserimus, rem ita esse, vel fieri debere, illud assertorium in spe-
cie, hoc confirmatorium dici potest: quod si ergò illud concipiatur de re
occulta, & cujus veritas à conscientia jurantis dependet, in hac specie per
solum Numen, tanquam *καρδιογνώστην*, jurari potest: per angelos autem &
principes, quia scire non possunt, an jurans violet, ac proinde nec in-

juriam vindicare aut jurantes deterrere, non rectè ita jurejuratur: imò tale jusj. species est idololatriæ, quando id, quod soli Deo proprium est, scil. attestari & scrutari conscientias, aliis tribuitur: ita quoque nec jurans idè apud homines malè audire potest, qui nec ipsi sciunt, an violaverit.

§. XII. Formulæ autem hujus per Numen jurandi variæ sunt: vel enim figuratè allegatur in formula *cælum vel templum*, pro ipso Numine quod inhabitat illa: vel res, cui à Numine malum imprecamur; scil. res, quæ nobis cara est, v. gr. si jurejuramus *per caput filiorum, per caput nostrum, per salutem nostram, per amicos, &c.* vel denique res, per quam nobis noceri potest, v. gr. jurando *per terram, flumina, fulmina, &c.* & in omnibus his formulis per Numen ipsum juratur, quod idem quoque docent verba *Math. 23. vers. 20. 21. 22.* Cùm autem tales formulæ detorqueri variè possint, non aliæ sunt accipiendæ, quàm quæ receptæ sunt, quarum juxta sensum receptum constans est interpretatio.

§. XIII. De Numine verò cùm sint variæ inter homines opiniones & superstitiones, quisque jurat per id, quod pro Numine ipse habet: quia hoc solum ipsi religionem inculcare, & per id tantùm deterreri à perjurio potest: quod non potest per id, quod ipse pro Numine non agnoscit, & cui nullam vim Numinis inesse credit, adedque nihil inde metuere potest.

§. XIV. Et quidem hoc ita, quamdiu *privatim* de solo jure partium circa jusj. quæritur, tunc enim quisque suæ superstitioni relinquitur.

§. XV. Verùm quando de jure actionis, quod in foro civili ex jurej. à magistratibus publicè datur, illud tunc competere non potest quando jusj. est religionis publicè prohibitæ: quia ex jurej. legibus illicito, & cujus religio publicè prohibita est, non potest jure in rep. competere actio, ut & rectè statuit *Vlp. in l. 5. §. 3. jurej. quæ quidem nova sed vera est d. §. 3. interpretatio.* Aliud est, quando Princeps vel resp. inter se jurant: tunc enim in altera Rep. non datur actio ex jurej. alterius reip. in altera prohibito: sed quæque resp. suæ superstitioni relinquitur. Unde si Princeps Christianus cum Turcico fœdus pangat, etsi hujus religio in rep. Christiana sit prohibita, tamen jusj. ejus valet; quia non idè fit, ut actio in rep. Christiana inde competat; sed ut propriæ religioni ac venerationi Mahumedanus relinquatur. §. 14. Hinc etiam publicè hæreseos damnati rectè ex sua religione jurant, d. §. 14. verùm ex hoc jurej. actio in rep. Christiana non datur. d. §. 15. *Non obst. R. I. 544 §. 62. O. C. p. 1. tit. ult. Bom Juden Eyd/ex quo jurej. in rep. Christiana rectè datur actio.*

Reliqua in seq. Disp.

Respond. Corollaria.

1. *Jus naturale humani tantùm generis proprium.*
2. *Brutum non peccat nec punitur, sed si occidat, ad detestationem facti removetur.*
3. *Cum nobis jus nostrum denegatur, aut litem aut bellum movemus.*

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

M. S. V. 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ure Nat. & Gent.

21.

ANDO,

mine,
Dissertation
varios Pa
dorfü.
Coecc

OCCEJO,
& Gent. P.P.

ni exponet
us Geuderus,
Nob. Franc.

rij H.L. Q.S.
XIV.

GÆ,
RI, Acad. Typogr.

